


Σὺν Θεῷ

EXERCITATIONUM ETHICARUM
OCTAVA

DE TEMPERANTIA, LIBERALITATE, MAGNIFICENTIA, MODESTIA, MAGNANIMITATE ET MANSUETUDINE.

Quam

Benedicente DEO Opt. Maximo

Permissu Amplissimi Collegii Philosophici

Sub Præsidio

M. JOHANNIS Reinbothß
Altenburgô-Misnici.

Placidæ disquisitioni

ad diem Aprilis horis & loco consuetis

subjicit

Respondens

NICOLAUS GETHERUS Holf.

RostochI, Literis hæredum Richelianorum.
Anno CIϽ IϽC XXXVI.

Cum Deo!

I.

EXplicatâ Fortitudinis naturâ ad TEMPERANTIAM Philosophus *à c. 10 l. 3. Ethic.* ad finem progreditur. Non enim satis est ad Reip. salutem exteros hostes à patriæ muris & propugnaculis pellere, sed intra mœnia & tecta latentes proditores arcendi sunt. Voluptatem blandam voco internum affectuum proditorem & furorem, quæ hominem enervat & à recto itinere ad libidinem abducit, multosq; quos dolor debilitare non potuit, quiq; sine ullo metu pericula adierant, labores pertulerant, vulnera exceperant, mortemq; ipsam, quâ nihil terribilius, pro nihilo putaverant, superavit, mollissimisq; suis vinculis constrinxit. Ab hâc Hercules Jovis, ut Poëtæ loquuntur, satu editus & monstrorum domitor, in quem nihil unquam virium habuerat dolor, devictus est, ut in Omphales gremio cubans pro corona populea mitellam aut calanticam capite gestarit; pro Leonis pelle crocotam indutus fuerit, pro clava & arcu colum & calathos tractaverit. Hannibalem etiam virum Pyrenæis alpibus Rhodanisq; fluviis armisq; Romanorum indomitum campaniæ fomenta vicerunt, teste *Senecâ in Ep. & Floro l. 2. c. 6. vid. l. 7. Pol. c. 25.*

2. Temperantia igitur huic malo medetur, furentisq; appetitus flammas supprimit, voluptatis nervos conscindit, & totam denique vitam moderatione harum voluptatum castam & honestam reddit. Unde Latinis etiam *à Temperamento* dicta fuit, Græcis a Σωφροσύνη q. Σώζουσα τὴν φρόνησιν, ut docet Plato in Cratylo & Aristoteles *l. 6. Eth. cap. 5.* quod non tantum corpus ab adversa valetudine inoffensum præstet, teste *A. Gellio lib. 3. Noct. c. 1. & 13.* sed & prudentiam, hominisq; ingenium, judicium & memoriam conservet. Nam

——— corpus onustum, *inquit Horatius,*

Hesternis vitiis animum quoq; prægravat ipsum,
Atq; adfigit humi divinam particulam auræ.

3. Est autem *Temperantia* (homonymiæ ex *Joach. Camerario f. 146.* peti possunt) μεσότης περὶ ἡδονὰς καὶ λύπας *l. 3. Eth. c. 10. l. 1. Magn. M. c. 21. & l. 1. Rhet. c. 9.* mediocritas circa voluptates & dolores. Vel: Est habitus animi præelectivus, qui mediocritatem servat in expetendis & fruendis voluptatibus, aut perferendis iis doloribus, qui ex rei jucundæ privatione animo concipiuntur.

4. Quo ipso objectum innuitur, quod duplex est: *Internum* nimirum αἱ περὶ ἐδωδὴν ἐπιθυμίαι, καὶ πόσιν, καὶ ἀφροδίσια. uti Platoni dicuntur *l. 9. de Rep. fol. 334.* cupiditates cibi, & potus, & rerum Venerearum; & *Externum*, quod duplex, vel primarium, vel secundarium.

5. *Primarium objectum* sunt voluptates, non animi, ratione harũ enim nemo intemperans appellatur, uti ostendit Philosophus *l. 3. Eth. c. 10. §. 3.* (qui enim ambitiosè honores amat, φιλότιμος: qui pecuniam, φιλοχρήματος: qui sapientiam, φιλόσοφος: qui virtutem, φιλάρετος dicitur) sed corporis. Ubi non est, quod existimes, cum omnes voluptates animo percipiantur, unde Epicharmus: Νοῦς ὁρᾷ, νοῦς ἀκούει, τὰ ἄλλα κωφὰ καὶ τυφλά, Mens videt, mens audit, cœtera cœca ac surda sunt; ideo malè quasdam corpori tribui. Nam illæ hoc loco ψυχικαὶ & animæ voluptates dicuntur, quæ nullo modo ad corpus spectant; σωματικαὶ vero illæ, quæ licet sentiantur animo, afficiunt tamen insuper corpus, ut divisio hæc Aristotelica eundem habeat sensum, quem illa; quæ posita est à *Xenophonte, principio Hieronis*: ἔστι μὲν οὖν ὅτε δι' αὐτῆς τῆς ψυχῆς μοι δοκοῦμ' ἥδεσθαι, ὅτε δ' αὖ λυπεῖσθαι ἐστὶ δὲ ὅτε κοινῇ καὶ διὰ τῆς ψυχῆς καὶ διὰ τοῦ σώματος.

6. Cum autem juxta quinarium sensuum numerum sint quincuplices, aliæ visus, aliæ auditus, aliæ olfactus, aliæ gustus, aliæ deniq; tactus; circa tres priores Temperantia per se minime occupatur,

patur, quoniam ex iis propriè aut per se temperans aut intemperans nemo dicitur nisi forsan per accidens, quatenus quis illicitè rem appetit, ex cujus aspectu, auditu vel olfactu voluptatem sentit.

7. Meritò igitur Ægyptii commendantur à Platone apud quos & picturarum & Musicorum licentia legibus coercebatur, quod permagni interesse judicarent, ut adolescentes à teneris annis honestis picturis & honestis cantibus assuefierent. Nam movetur animus picturâ, *ut ait Muretus*, & aut in memoriam redit talium flagitiorum aut ad ea suscipienda incitatur, uti exemplo *Tiberii Cæsaris* comprobatur. Huic enim quidam testamento legaverat Parrhasii tabulam, in qua picta erat Atalanta cum Meleagro id libidinis genus exercens, quo nullum fœdius aut flagitiosius cogitari potest, additâ conditione ut si tam turpi pictura offenderetur, decies HS pro ea tabula acciperet : at ille tabulam non tantum pecuniæ prætulit, verum etiam in cubiculo collocavit : nimirum cujus oculi tantæ turpitudinis aspectu pascebantur, eum mirum non est, ea posteà in Capreensi secessu, quæ hodie ne legi quidem sine horrore possunt, perpetrasse.

8. Duæ igitur posteriores τῆς γεύσεως καὶ ἁφῆς Voluptates verum & genuinum Temperantiæ sunt objectum, harum enim ἧς τὰ λοιπὰ ζῶα κοινωνεῖ, ὅθεν ἀνδραποδώδεις καὶ θηριώδεις φαίνονται. *l. c.* Ubi tamen Tactus Voluptates magis Temperantiæ objiciuntur, quàm gustus. Difficilius enim his resistitur. *lib. 2. Eth. c. 3. in fin.* Indè etiam Intemperantes illas magis appetunt, quod tum eorum exemplo probatur, qui cibos aut vina solent gustare. Hi enim tantum leviter ea linguæ admovent, perexiguam sentientes voluptatem ; ut & *Erixii cujusdam gulonis*, cui nomen Philoxeno, qui collum sibi dari quam gruis longius optabat, quo majore deliciarum voluptate demulceretur ex attactu descendentium eduliorum.

9. Neq; tamen omnes voluptates ex tactu provenientes refrenat Temperantia. Quædam enim *necessitatis, utilitatis & sanitatis* ergò expetuntur, cujusmodi sunt corporis exercitia, frictiones, calefactiones &c. quæ vel valetudinis gratiâ, vel confir-

mandi roboris causâ etiam à Medicis præcipiuntur: hæ tanquam ἐλευθεριώταται Intemperantem neminem faciunt; quædam verò præterquàm quòd necessariæ & utiles sunt, sanitatemq́; adjuvant & conservant, etiam titillantem jucunditatem pariunt, quales sunt αἱ γινόμεναι ἐν σιτίοις καὶ ἐν ποτοῖς, καὶ ἐν τοῖς ἀφροδισίοις λεγομένοις. l. c.

10. Explicato objecto primario ad secundarium nos vertimus. Est autem *Secundarium Objectum Dolor*, quatenus prohibet ne prorsus voluptate careamus. Et circa hos dolores minus versatur Temperantia; æquius enim faciliusq́; caremus voluptate absente, quàm caveamus præsentem. Est n. comta venusta & blanda, sed insidiosa & fallax Helena animos mortalium ita afficiens, ut veluti aspidis aculeo ịcti in somno voluptatis sine sensu pereant. Hinc dissimiliter Temperantia circa voluptates & dolores versatur. Circa illas enim laborat viam ostendens, quâ & quomodo adeundæ. Circa hos autem accidentaliter, quatenus ex absentia ascititiæ dulcedinis sequuntur. *Arist. l. 3. c. 11. §. 4.*

11. Ex Objecto Temperantiæ hactenus explicato duæ species hujus virtutis fluunt, quarum prior dicitur *Frugalitas*, quæ in *abstinentiam* & *sobrietatem* dispescitur, posterior verò *Castitas*.

12. *Abstinentia* est Temperantia circa voluptatem ciborum occupata, i. e. quâ nec plus cibi aut voluptatis inde profluentis, nec aliter appetimus, quàm natura & recta ratio suadet. Modus igitur pro ratione virium cujusq́; attendendus. Nec enim tantum cibi pygmæo sumendum, quàm giganti cuipiam, sed quantum cuique sufficit.

13, Extrema *Abstinentiæ* sunt in excessu *Voracitas*, quæ est intemperantia in cibo, de qua vide *Syrac. c. 31, 19. c. 37, 32.* ut & *Athenæum l. 10.* δειπνοσοφ. *c. 1. & 2.* Exemplo est Pithyllus quidam cognomento τενθης, i. e. helluo, qui cum ad convivia itaret, non tantum manus armavit digitalibus: verum etiam linguam membranâ quâdam obvolvere solitus fuit, ut calida & propè ardentia obsonia sine ullo impedimento devorare posset. Legatur Claudius Minos Comm. ad 90. Embl. Alciati. In defectu *nimia abstinen-*

ſtinentia, quâ quis à licito ciborum eſu & uſu rigidè abſtinet, quemadmodum cujusdam Monachi Batthæi in Cœloſyria meminit *Sozomenus* l. 6. c. 34. qui tam frequenter jejunavit, ut ex ipſius dentibus vermiculi ſcaturirent. Rarum Monachorum exemplar.

14. *Sobrietas* vero eſt Temperantia circa voluptatem ex potu oriundam modum ac rationem præſcribens. Si enim alior-ſum ſpectet potus, inquit *Scaliger exerc. 299. ſ. 2.* quàm ad liquefactionem, attenuationem, lubricationem, delationem cibi, ſuccivè ſuâ naturâ craſſioris ex ſuis exit finibus committiturq; vitium.

15. Sobrietati in exceſſu Contrariatur *Bibacitas*, quâ in potu modum excedimus, quemadmodum Græci olim hoc vitio celebres fuerunt, qua de re *Athen. l. c. c. 12.* qui ut eò magis hoſpites ad bibendum urgere poſſent, utebantur poculis rotundis, quæ cum ſtare non poſſent, promovenda ſemper erant. Inprimis hoc vitio claruit Neopolitanus ille, qui appoſitâ lagenâ vino repletâ ſepulchro ſuo hos verſiculos inſculpi juſſit.

» *Vina mihi vitam, mortem mihi vina tulerunt,*
» *Sobrius auroram cernere non potui.*
» *Oſſa merum ſitiunt, vino conſperge ſepulchrum,*
» *Et calice epoto, chare viator, abi.*

Hodie verò non Germani ſaltem (quod cavillatur *Scaliger 3. Poët. c. 17.*) ſed pleræq; nationes in hoc vitium ſunt proclives, & inprimis ipſius Scaligeri populares, quod teſtantur verſiculi hi noti:

Nil comedis, Germane, bibis bene. Nil bibis, Angle,
Sed comedis. Comedis, Galle, bibisq; bene.

In defectu vitium ἀνώνυμον eſt, quo quis minus ac decet potus voluptate afficitur. *l. 3. Eth. c. 11. §. 5.*

16. *Caſtitas* deniq; *Thomæ 2. 2. q. 101. art 3.* eſt Temperantia delectationum venerearum. Ubi per Venerea intelligas non modo actum venereum, ſed etiam voluptatem in amplexu, tactu geſtuq; corporis, vultus, oculorum &c. quæ omnia, ne aurea Mediocritas violetur, Caſtitas regere debet.

17. *Caſtitati* in exceſſu repugnat *Impudicitia*, quâ in Venerem putres (liceat verbo *Perſii* uti) ferimur. Inter illos fuit mon-

ſtrum

strum! illud *Heliogabalus*, qui nudas puellas sibi prandenti & cœnanti ministrantes constituit, & tantam multitudinem pellicum aluit, ut earum nullam reiterarit. *Joh. Baptista. Ignatius in vita Heliogabali.* Huc etiam referri debet *Messalina Claudii Imperatoris* uxor, quæ tam prodigiosa fuit libidine, ut elegerit in certamen nobilissimam è prostitutis ancillam, mercenariæ stipis, eamq; die ac nocte superarit quinto ac vicesimo concubitu, teste *Suetonio.* Hoc vitio Galli creduntur inprimis laborare, unde cum Germano à Gallo quodam objiceretur bibacitas, hoc disticho:

Germani cunctos possunt superare labores,
O utinam possent tam bene ferre sitim.

Respondit & regessit Germanus, Gallisq; exprobravit Impudicitiam in quam feruntur præcipites, versus talis est:

Vinum Germanos vexat, sed fœmina Gallos,
Dic mihi quid gravius, vulva vel urna, nocet?

In defectu verò *Stupiditas*, quæ consistit in eo, si quis neq; licitè Veneris sensu aut cupidine videtur affici, quo vitio laborasse perhibetur *Diogenes*, qui omnes mulieres suspensas cupiebat. Nec non *Guelphus Dux Sueciæ* cum *Mechilda* uxore juvencula & lepida ludere prorsus nolens, de quo prolixè *VVenceslaus Hagecius in Chronicis Bohemicis part. 1. Anno 1069.*

18. Sed hæc de Temperantiæ Objectis, ejusq; speciebus dicta sufficiant. Ut autem hujus Virtutis naturam penitus introspiciamus, transgressum nunc merito facimus ad ejus extrema, quorum duo sunt, uti ex *l.2. Eth. c. 7. § 3. & l. 3. c. 11.* videre est; alterum ἐν ὑπεροχῇ & dicitur Ἀκολασία seu *Intemperantia*; alterum ἐν ἐλλείψει, & nominatur improprio vocabulo Ἀναισθησία, *Stupiditas, voluptatum vel appetituum vacuitas.*

19. *Intemperantia* est Vitium in excessu, quo citra delectum quasvis voluptates in gustu & tactu positas nullâ habitâ honestatis ratione immoderatè expetimus. Exemplum idq; tritissimum exhibet *Sardanapalus*, Epicuri de grege porcus. Videatur *Justinus l.1. Diodorus Siculus l. 2. Strabo l.14. & Clarissimus Schickardus in Tarich f. 42.* qui etiam Epitaphium, quod sepulchro suo post mortem inscribi

ſcribi voluit, refert, quod de moribus apud poſteros teſtaretur. Id ex Aſſyriaco idiomate Græci hoc modo expreſſerunt:

Ταῦτ' ἔχω ὅσσ' ἔφαγον, καὶ ἐφ' ὕβελσα, καὶ μέτ' ἔρωτος

Τέρπν' ἔπαθον, τὰ δὲ πολλὰ καὶ ὄλβια κεῖνα λέλειπται.

Quod *Cicero ad fin. ultimi libri Quæſtion. Tuſcul.* ita expoſuit Latinè: *Hæc habui, quæ edi, quæq; exſaturata libido*

Hauſit: at illa manent multa & præclara relicta.

Alii referunt in Achiala, urbe minoris Aſiæ ab illo condita, repertum fuiſſe cum titulo: EDE, BIBE, LUDE & his quoq; verſibus ante priores: Εὖ εἰδὼς ὅτι θνητὸς ἔφυς, τὸν θυμὸν ἄεξε

Τερπόμενος θαλίησι· θανόντι τοι ἔτις ὄνησις.

Hoc eſt: *Cum te mortalem noris, præſentibus exple*

Deliciis animum: poſt mortem nulla vol[illegible]. &c.

20. *Stupiditas* eſt vitium morale, per quo[illegible]o ab omni ſenſu voluptatis alimentariæ & venereæ abhorret. Notanda ejus Synonymia. Vocatur Græcè Ἀναισθησία, quæ vox componitur ex privativa particula, α, & αἰσθησία. q dicas, carentia ſenſus in aſpernandis & neceſſariis & honeſtis voluptatibus. Ut enim Temperantia ſedat appetitiones: ita ſtupor appetitum extinguit, ut ait *Cicero 4. Tuſc. Damaſcen. in Dialect. c. 57.* vocat ἠλιθιότητα.

21. Sed alienum penitus eſt hoc vitium à natura, utpote quæ non tantum doloris, ſed etiam voluptatis ſenſu eſt prædita, ideoq; & rariſſimum, proprioq; apud Latinos caret nomine: apud Græcos nomen habet generaliſſimum. Ut enim quam plurimi homines ſemper extiterunt & extant, qui intemperantiæ vitio laborarunt & laborant: ita pauciſſimi ſunt, qui à temperantia ad exceſſum, videlicet *Stupiditatem* declinant, quæ etiam honeſtarum voluptatum eſt contemptus & faſtidium. Exemplum eſt *Diogenes Cynicus*, qui pro domicilio utebatur dolio de palo ſuſpenſo, & pane excavato pro catino, crudis herbis & aquâ ſimplici victitabat. Diogenes iſte vulgò canis dicebatur. Cum autem multa ſint canum genera, videlicet venatorii, aucupatorii, cuſtodes ovium & ædium & qui in deliciis habentur, & quidam percontaretur qualis ipſe eſſet: *Eſuriens Melitæus*, dixit, *& ſatur Moloſſus*: quòd cibi appetens blandiretur, ſatur morderet.

Z 22. Tem-

22. Temperantiam excipit LIBERALITAS & MAGNIFICENTIA, cum enim πλοῦτος id est pecuniæ sint nervus rerum gerendarum (ἄνευ τούτου enim οὐδὲν ἐστι τῶν δεόντων γίνεσθαι, juxta *Demosthenem*) providè curandum est ne nervos nobis incidat & clavam manibus excutiat nimius pecuniarum amor. Auxiliatrices igitur manus porrigit *Liberalitas & Magnificentia*, pauperumq́; inopiam sublevat, nominis famam acquirit, favoremq́; omnium conciliat. Unde solitus etiam fuit dicere Xenophon, *laudabilius esse beneficiorum post se relinquere multitudinem, quam trophæorum.* Hinc Cyrus interrogatus, cur sibi nihil reliquisset ex ornamentis dono acceptis; *Quia*, inquit, *corpus meum his omnibus ornari non potest, amicos autem his ipsis ornatos intuens maximum mihi ipsi ornamentum additum esse putabo.* Imo patris illius æterni διδόντος [serm.] ἁπλῶς καὶ μὴ ὀνειδίζοντος *Jacob.* 1, 5. vestigia premit Liberalitas. Hoc unum enim, inquit *Demosth. ap. Max. serm.* 8. Deo simile homines habent, ut benignè facere possint. Eò etiam respicit *Seneca l. 4. de Beneficiis.*

23. Est autem *Liberalitas* (*Cicero* beneficentiam vocat *l. 1. off. p. 421. & l. 2. offic. p. 506.*) μεσότης περὶ τὰ χρήματα μικρά. vel περὶ δόσιν χρημάτων καὶ λῆψιν *l. 4. Eth. c. 1. & l. 2. Eth. c. 7.* Virtus moralis circa opes modicas earumq́; tum acceptionem tum erogationem occupata.

24. Objectum igitur sunt τὰ χρήματα. χρήματα δὲ λέγομεν πάντα, ὅσων ἡ ἀξία νομίσματι μετρεῖται. *l. 4. Eth. c. 1.* Opes dicuntur omnia (non solum pecunia signata) quorum pretium nummo æstimatur.

25. Ita autem Liberalis circa pecunias versatur ut medium observet, & *in dando* & *in accipiendo*. Inde & λῆψις & δόσις duo actus Liberalis constituuntur.

26. In dando Liberalis habet rationem 1 *Finis*. Solius enim honestatis gratiâ dat & largitur. l. c. non verò tacitæ utilitatis causâ & futuræ remunerationis, teste *A. Gellio l. 17. Noct. Att.* multò minus ostentationis ergo, *Matth. 6, 1.* 2. *modi erogationis*. Dat enim ἡδέως καὶ ἀλύπως l. c. quod & habet *Syracides c. 35, 10.* & *Paulus 2. Cor. 9, 7.* 3. *Personæ, cui benefaciendum.* Non enim

τοῖς

τοῖς τυχοῦσι, quibusvis occurrentibus subveniendũ est: sed οἷς δεῖ, quibus dare convenit. Hujusmodi autem sunt non modo homines virtute præditi, sanguine nobis juncti, amici & bene meriti: sed omnes omnino personæ miserabiles, in quibus aliqua virtutis significatio apparet. *Cic. l. 1. offic. p. 471. & seqq.* 4. *Quantitatũ beneficii*, ut det ὅσα δεῖ, quantum decet, videndumq́; ne major sit benignitas, quàm facultas, uti Cicero loquitur. 5. *Beneficiorum qualitatũ*, ne det forte quæ accipienti vel non prosint, vel noceant, de quo *Seneca l. 1. de benef. c. 2.* pulchrè disserit. 6. *Temporũ & loci.* Ingratum enim beneficium est, ait *Seneca l. 2. c. 1. de Benef.* quod diu inter manus dantis hæsit, ut & quod palàm exhibetur. Notatu enim dignum præceptum ejusdem Senecæ est l. c. c. 9. *Præcipiunt, inquit, omnes autores sapientiæ, quædam beneficia palàm danda, quædam secretò. Palàm, quæ consequi gloriosum est, ut præmia: Cætera, quæ honestiorem accipientem non faciunt, sed occurrunt infirmitati, egestati, ignominiæ tacitè danda sunt.*

27. In accipiendo Liberalis tria observabit: 1 *Ne accipiat, unde & à quo non est accipiendum.* l. c. Malè ergo *Vespasianus* ex lotio opes corrasit. 2. *Ne sit* αἰτητικός. In quo peccavit graviter *Alphonsi regis eques*, qui ab hostibus captus & vinculis tandem solutus à Rege in calamitatis solatium plurima postulavit juxta ac impetravit. Rex cum ad suos rediret: *Dispeream, inquit, metui ne etiam uxorẽ meam posceret eques meus.* 3. *ut aliis benefacturus* ἀπὸ τῶν ἰδίων *sumat.* Audiat ergo Terentianum illud: *De tuis largitor puer.*

28. MAGNIFICENTIA ἐστὶ μεσότης περὶ χρήματα τὰ μεγάλα. *l. 2. Eth. c. 7.* vel: ἡ μεγαλοπρέπεια δοκεῖ περὶ χρήματά τις ἀρετὴ εἶναι, οὐ διατείνει δ᾽ ἡ περὶ πάσας τὰς ἐν χρήμασι πράξεις, ἀλλὰ περὶ τὰς δαπανηρὰς μόνον. Est Virtus moralis, quæ circa opes magnas versatur, &, quæ circa eas sunt, actiones dirigit. A quibus non abeunt ea, quæ habentur *l. 1. Rhet. c. 9.*

29. Objectum ergo est ἡ μεγάλη δαπάνη, h. e. sumptus magnus *l. 3. Eth. Eudem. c. 6.* qui in res præclaras & diuturnam agentis memoriam conservaturas impendendus est. Actio autem viri magnifici est τὸ πρέπον θεωρῆσαι καὶ δαπανῆσαι μεγάλα ἐμμελῶς. *l. 4. Eth. c. 2.* Quod ut ab ipso fiat, tria sunt necessaria:

1. *finis verus*, ut honestatis causa sumptus faciat. 2 *Modus congruus*, ut ἡδέως & προετικῶς. 3. *Opus condignum* (idq; vel publicum vel privatum) ut sumptus operi & opus sumptui respondeat.

30. Magnam quidem affinitatem Liberalitas & Magnificentia habent inter se, non tamen existimandum est cum *Caso l. 2. Inst. spec. moral. c 7.* quasi invicem hæ duæ virtutes coincidant & neq; realiter neq; specie à se invicem distinguantur. Licet enim in hoc generali sit convenientia; interim tamen hæc generalitas non officit speciali distinctioni utriusq; virtutis.

31. Consistit autem differentia Liberalitatis & Magnificentiæ 1. in *Subjecto*. Magnificentia enim duntaxat convenit opulentis & in præclara aliqua dignitate constitutis, quod si vilioris fortunæ homines magnifica faciendo imitentur, tantum abest, ut propterea magnifici dicantur, ut prodigalitatis potius crimen incurrant: Liberalitas verò in plebeios imò etiam in pauperes cadit.

32. Differunt 2. *Objectis*, externo scilicet & interno, item materiali & formali. Magnificentia affectum circa res magnas, Liberalitas circa mediocres coërcet; ac proinde Liberalitas circa opes parvas; Magnificentia vero circa magnas versatur. *l. 2. Eth. c. 7. & l. 4. c 2.* Hinc etiam non eadem est ratio mensurandi utrasq; expensas. Sicuti enim segetem nimia sternit ubertas, & sicuti rami onere franguntur: sic sæpe animos immoderata felicitas rumpit, ita ut ij sæpe in tenuiori fortuna constituti medium possint observare; non tamen possunt, si fortuna ipsos in altiorem locum transtulerit. Hinc *Gobrias apud Xenophontem* difficillimum repertu virum judicat, qui secundam fortunam rectè ferat. Et præsertim manifestum est *Tantali* exemplum, quem *Pindarus* ait magnas divitias, καταπέψαι, concoquere non potuisse.

33. Differunt 3 *actionibus*. Liberalitatis actiones duæ sunt: datio scilicet & acceptio *l. 4. cit. c. 1.* Magnificentia verò tantummodo erogando seu sumtus faciendo sese exerit. c. 2. §. 4. Deniq; etiam *finibus*, uti ostendit *Burlæus*, quem sequitur Acciajolus, Dorbelius & Muretus. Finis enim Liberalitatis est gratuita communicatio: finis vero magnificentiæ est magnitudo & excellentia operationis, cujus gratia Magnificus magnas res rationabiliter impendit.

34. Libe-

34. Liberalitati *in excessu* opponitur Prodigalitas, quæ dando modum excedit, accipiendo autem deficit. l. 4. c. 1. §. 16. *In defectu* verò Illiberalitas, quæ duplex : Totalis seu Partialis. *Partialis* aut dando saltem deficit, aut accipiendo tantum excedit, quâ posteriori qui laborant, turpi lucro deditι dicuntur, quemadmodum qui priori parci tenaces & restricti. *Totalis* verò Illiberalitas, quæ propriissimè avaritia dicitur est vitium, quo & dando deficiunt homines & excedunt modum accipiendo, de quo vitio ita *Cic. in orat pro Quint. p. 5.* Nullum est officium, inquit, tam sanctum atq; solenne quod non avaritia comminuere atq; violare soleat. Hæc enim, ut *Salustius* habet, fidem, probitatem, cæterasq; artes bonas subvertit : pro his superbiam, crudelitatem, DEos negligere, omnia venalia habere docet, & quasi malis venenis imbuta, corpus animūq; virilem effœminat, semperq; infinita & insatiabilis est, neq; copiâ, neq; inopiâ minuitur. Exempla habet *Valer. Max. l. 9. c. 4.*

35. Magnificentiæ *in excessu* opponitur βαναυσία, id est, inepta magnorum sumtuum profusio, vel, infinitus aut etiam inconsideratus atq; imprudens in faciendis magnis sumptibus splendor sive luxus. *In defectu* autem μικροπρέπεια, parsimonia in magnis sumptibus erogandis indecora, quando in magnis sumptibus in res præclaras erogandis tenaces valde & sordidι quidam inveniuntur. De quibus omnibus vid *Aristot. l. 2. Eth. c. 7. §. 5. & lib. 4. c. 2. § 3.*

36. Ordinis ratio postulat, ut etiam virtutes, quæ circa honores occupatæ sunt, videamus, quæ Modestiâ & Magnanimitate absolvuntur.

37. Est autem MODESTIA ex c. 4. l. 4. Eth Virtus Moralis, quâ in appetendo honore modico & parvo modus servatur. Modici itaq; honores ac parvi sunt objectum Modestiæ, circa quos Modestus ita se gerit, ut, 1. ambitiosè & ultra quàm meritus est, eos non appetat. 2. sibi debitos non negligat, sed prout decet pro virili sustineat, ac tueatur. 3. iis modis legitimis acquisitis ut contentus sit.

38. Quod dum facit mediâ incedit viâ ab utroq; vitio extremo remotus. *Excessus* enim Modestiæ est *Ambitio*, quando quis magis quàm decet, & unde non decet honorem mediocrem

appetit. *Defectus* verò est ἀφιλοτιμία hoc est mediocrium honorum eorumq; debitorum contemptus & aspernatio.

39. MAGNANIMITAS verò est Virtus moralis, quâ honores magni decenter ac moderatè expetuntur l. 4. Eth. c. 3. §. ult. Æstimandus autem honor est ex dignitate & veritate, uti docet *Arist. l. 3. Eth Eud. c. 5.*

40. Circa magnos itaq; honores Magnanimus versatur, & quidem ita, si ductum Aristot: locis citatis sequi voluerit, ut 1. Magnis honoribus & à viris honestis sibi oblatis moderatè gaudeat. 2. In omni fortuna tam secunda quàm adversa decenter se gerat 3. Bona externa, quæ ad sui splendorem faciunt, modo debito sectetur 4. Erga viros excelsos se quoq; magnum, erga mediocres moderatum exhibeat. 5. Loca honorata, in quibus alii primas tenent, ne adeat. 6. Omnia deliberatò suscipiat & agat. 7. Magna & præclara agat. 8. Quos odit vel amat, palàm odio habeat vel amet. 9. Ad nutum alterius nisi amici ne vivat. 10. Non sit rerum ab aliis gestarum admirator. 11. Neq; laudet alios, neq; traducat. 12. Non querulus sit de rebus ad vitam necessariis. 13. Et deniq; ejus incessus sit tardus & gravis, oratio firma & stabilis.

41. Extrema quæ Magnanimitati opponuntur etiam duo sunt: *unum in defectu*, ceu *Pusillanimitas, alterum vero in excessu*, quod Græcis χαυνότης dicitur, Latinis animi elatio, fastus vel superbia. *l. 2. Eth c. 7. l. 4. c. 3. & l. 1. Magn. Mor. c. 26.*

42. *Pusillanimitas* est vitium, quo qui laborat cum bonus atq; honoribus dignus sit, seipsum privat his, quibus est dignus. Atque hoc pacto non solum sibi injuriam facit, sed tum se, tum exemplo suo alios ab actionibus honestis atq; præclaris abstrahit.

43. *Fastus* vero est vitium, quo inquinati honorabilia, quasi illis digni essent aggrediuntur atq; arripiunt; postea verò quia indigni reperiuntur, irridentur & vituperantur.

44. Circa præsentes virtutes nihil aliud notatu dignum, quod non ab aliis prolixissimè sit explicatū, occurrit, nisi quod quædam difficultates adhuc exponendæ restent, quarum prima est: An Magnanimitas sit virtus. Secunda: An sit distincta à modestia & reliquis virtutibus Priori enim videtur obstare quod nulla virtus contrarietur alteri virtuti; Atqui Magnanimitas contrariatur Humilitati, contem-

contemnit enim alios & magnis se dignum reputat, quemadmodũ Arist prolixè ostendit; humilis verò non contemnit alios, nec multûm sibi ipsi arrogat : Ita etiam immemor est beneficiorum minima n. negligit & respuit, uti ex *c.3.§.4.5.6.& 7.l 4 Eth.* constat quod itidem est contra gratitudinem. E. Magnanimitas non est virtus.

45. Quod non sit distincta à Modestia ex eo patet, quod utraq; circa honorem versetur; Imo quod magis dubium est, videtur Magnanimitas cum justitia universali coincidere, hæc enim operatur in operationibus aliarum virtutum omnium, ita ut etiam Aristoteles dicat in magnanimo esse concursum omnium virtutum, ita enim in cap. 1. Videbitur autem inquit esse magnanimi in unaquaq; virtute magnum & paulò post: (si quis ad concretum confugiat) Videtur igitur Magnanimitas quidam ornatus esse virtutum.

46. Ad primum dicendum est Magnanimitatem minimè contrariari humilitati, imò Magnanimum esse humilem secundum illud *Senecæ* : — — — Quo fortuna altius

Evexit atq; levavit humanas opes
Hoc se magis supprimere felicem decet.

Neq; contemnit studiosos viros & virtutibus præditos, uti rectè notat *Acciajolus t 83* sed eos, qui virtutibus vacui sunt, & ob res externas, divitias v. g. vel ob aliquam prosperitatem laudantur. Quod a. Humilitas dicat & inculcet, quod homo se ipsum parvi pendat, hoc facit secundum considerationem propriorum defectuũ, qui competunt ipsi ex infirmitate naturæ; Magnanim9 v. dignũ se autumat magnis secundum consideratione͂ donorum, quæ possidet ex Deo.

47. Ita etiam Magnanimus minimè est ingratus, quod eruditissimè explicat *Giphanius in comment.* cujus verba lubet ascribere : *Verum ea ita sunt accipienda, Magnanimum libenter sua meminisse, aliena non item: Non exprobrandi causa neq; ostentandi; sed quia hac recordatione renovetur sua excellentia ipsi, quod unũ studet. Sic & ab aliis sua, non alierũ sibi præstita beneficia commemorari libenter audit. non quod sit ingrat9 aut immemor beneficii esse velit, sed quia sua audiendo refricetur illi sua excellentia. aliena audiendo sua humilitas & imbecillitas.* Hæc Giphanius.

48. Secundũ ex sup art. facile tollitur, quemadm. etiam tertium doctissimè est rejectũ à *Nicol. Dorbell.* qui summâ facilitate rem exponit, quãdo dicit: *Notandũ tame͂, quod Magnanimitas, licet præsupponat*

alias

alias virtutes & ad Magnanimũ pertineat esse magnũ in qualibet virtute sit virtus speciali & non generalis, quæ ponit modũ rationis circa determinatã materiã, honorẽ sc. Quia v. honor est cujuslibet virtutis præmiũ ideo ex consequenti ratione suæ materiæ respicit omnes virtutes, in quantũ namq; tẽdit ad ea, quæ sunt digna magno honore, intẽdit magna operari in qualibet virtute, licet etiã qualibet virtus habeat quendã decorẽ seu ornatũ ex sua specie; superadditur tamẽ aliq9 ornat9 ex ipsa magnitudine operis virtuosi per magnanimitatẽ, quæ omnes virtutes majores facit.] 49. De Mansuetudine ultimò ut agamus ordo exigit. Est autem MANSUETUDO Virtus Moralis, quæ in vindicando mediocritatem ostendit, iramq; moderari docet.

50. Objectum ejus internum est ira, quæ l. 2. Rhet. c. 2. definitur quod sit cum dolore conjuncta apparentis vindictæ appetitio, ἔστω δὴ, ait Philosophus, ἡ ὀργὴ ὄρεξις μετὰ λύπης τιμωρίας φαινομένης διὰ φαινομένην ὀλιγωρίαν τῶν εἰς αὐτὸν, ἢ εἰς αὐτοῦ τινα μὴ προσηκόντως. Hanc *Seneca* graphicè depingit, *l. 1. de ira c. 1.*

51. Externũ v. sunt ea omnia, quæ iram atq; indignationẽ in animo hominis cõcitare queunt, veluti injuriæ, damna, contumeliæ, convitia & omnia alia, quib. vel fama, vel bona nostra vel nostrorum videntur posse lædi.] 52. In his autem omnibus iram Mansuetus moderabitur, irasceturq; propter quæ oportet, & quibus irasci oportet, & quomodo, & quando & quamdiu oportet, *l. 4. Eth c. 5.*

53. Quibus verbis quinq; viri Mansueti conditiones recensentur, quarum prima est: Ne ex affectu irascatur, sed ob causam gravem & justam. Secunda: Ne irascatur omnibus, sed qui consultò eum læserunt. Tertia: Ne irascendo modum excedat. Quarta: Ut nec statim, nec semper irascatur. Et quinta: Ne iram diu foveat. *Eph. 4, 26.*

54. In *excessu* huic virtuti opponitur *Iracundia*, cujus 3 species l. c. Philosophus enumerat: Excandescentiam scilicet, quâ qui laborant citò quidem ad iram commoventur, sed statim iterum placantur. Acerbitatem seu virulentiam, quâ qui contaminati sunt, facilè quidem iram non concipiunt, sed semel conceptã difficulter deponunt. Et animi Asperitatem, quâ aliquis citò, apertè & graviter irascitur, nec absq; vindicta & punitione reconciliatur.

55. In *defectu* peccat *Lentitudo* (ita enim reddidit *Cic. l. 1. ad Quint. frat. Ep. 1.*) quæ est ejusmodi vitium, quo aut plane non, ne quidem ob justas causas, aut minus, quàm decet, homines irascuntur.